



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Amor Deiparæ Virginis Mariæ; Petri Antonii Spinelli  
Neapol. Societ. Iesv**

**Spinelli, Pietro Antonio  
Coloniæ Agrippinæ, 1620**

Officium B. Virginis, nu. 1

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60948](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60948)

SECUNDVM GENVS  
obsequiorum.

*Mortificationes, & corporis afflictiones in honorem Deiparae, num. 17.*

*Eorum exempla, qui ieiunium, vel aliud pietatis opus propter Deiparam exercebant, num. 18.*

*Imperatorum, & Regum in Deiparam pietas Sabbato, vel alijs eidem dicatis diebus, num. 19.*

*Deipara miracula, & beneficia in eos, qui ieiunium, vel aliam mortificationem etiam interiorem in eius honorem susceperunt, num. 20.*

TERTIVM GENVS  
obsequiorum.

*Opera misericordiae tum spiritualia, tum corporalia in honorem Deiparae, num. 23.*

III.

OFFICIUM B. VIRGINIS.

**I**NTER preces, quæ in Deiparae honorem suadi possunt. Tertio loco recensuimus Officium, quod vocant paruum beatae Virginis, quod

quod Urbanus Secundus anno millesimo nonagesimo quarto in Concilio Claremontensi iussit in honorem Virginis in Ecclesia quotidie recitari; quem admodum capit. 29. retulimus: ubi etiam diximus, quinam ad illud persolvendum teneantur, post Pij Quinti Pontificis Maximi tempora, cuius iussu anno millesimo quingentesimo septuagesimo primo idem B. Virginis Officiū, adiunctis precibus reformatum prodit, adiectis indulgentiis, quas illud, vel alias orationes eodem volumine insertas recitantes, idem Pius Quintus benignè est largitus. Illud centè præclarum, quod in vita sancti Brunonis apud Surium die 6. Octobr. de hoc Officio Deiparæ scriptum invenimus, & nos cap. 35. vberius narraimus de Carthusianis primis Patribus, absente S. Brunone, magis animi angustijs exagitatis, quibus S. Petrus Apostolus apparēs Virginis præsidium promisit, si in eiusdem honorem preces horarias quotidie recitarent. quare animi lætitia mirificè perfusi, Deiparam sui Ordinis patronam delegerunt, & ab ijs molestijs Virginis ope sunt liberati.

Conciliū  
Claremon  
tense.

Surius.

A mole-  
stijs pluri-  
mus Car-  
thusiani  
Officiū  
B Virg. re-  
citantes  
liberati.

Petrus Damianus apud Baronium *Simile ex-*  
Tomo II. ad annum 1056. narrat in *emplū de*  
Mo-

*Monaste-  
rio Gamu-  
genfi.*

*Pet Da-  
mianus.  
Baron.*

*Officij B.  
Virg. reci-  
tandi vsus  
frequen-  
tissimus.  
Exemplū  
de fratre  
Regis Hū-  
garia.*

Monasterio Gamugense statutum fuisse, ut cum horis Canonicis quotidie B. Virginis quoque Officium diceretur: quod tamen post triennium recitare omiserunt. verum tot, tantisque aduersitatibus, deprædationibus, & rapinis eiusdem Monasterij bona diripi cœpta sunt, ut Monachos omnes vitæ tæderet suæ. At Petrus Damianus, idcirco hæc ijs accidisse exprobrauit, quod de suo Monasterio matrem pietatis eiecerint. Quare humiliter prostrati, ac salutari correpti pœnitentia solitum Virginis officium nusquam se neglecturos vnanimiter polliciti sunt, nec ita multo post ad mentis, animiq; serenitatem Virginis beneficio redierunt.

2 Hoc porro B. Virginis Officium adeo in omnium tum virorum, tum mulierum mores inductum cernitur, ut eorum, qui legere norunt, nemo ferè sit qui illud apud se habere, & interdum recitare non studeat. Et sanè benignissima Virgo eam pietatem miraculis aliquando comprobasse legimus, ut videre licet in fratre Regis Hungariæ, quem tempore Caroli Francorum Regis horas has dicentem clementer visitauit; à carnalibus nuptijs, quas solum contraxerat, ad castitatem in religione seruandam traduxit;

duxit; ei que festum Conceptionis celebrandum edixit, quod fufius in tractatu de festis Deiparæ ex Iacobo de Voragine, & ex Epistola Anselmi retulimus. Quare qui Virginis studiosi censentur, eiusmodi officium piè recitare consueverunt: cuius rei, omnibus satis quidem exploratè, exemplum vnum, vel alterum proferamus.

*Tract. de festis. Iacob. de Voragine.*

S. Elisabetha Lusitaniæ Regina sanctitate insignis (auctore nostro Petro Ioanne Perpiniano orat. 1. laudationis in eandem singulis diebus officium diuinum, quod sacerdotes persoluunt, Septem Psalmos, & Defunctorum officium recitabat, quibus mira quadam religione adijciebat officium paruum B. Virginis.

*S. Elisabetha Lusitania Regina. Ex Petro Perpiniano.*

Beatus Iacobus Venetus Ordinis Prædicatorum ab incunte ætate Auiæ opera in Deiparæ pietate est educatus: puer verò Deiparæ officium quotidie recitabat, statuitque reliquo vitæ suæ tempore illud non omittere. Postea verò decimo septimo ætatis anno Ordinem Prædicatorum complexus sanctitate, & miraculis clarus, obiit anno 1314. ætatis 83. Auctore Ferdinando Castillo in Chronico Ordinis Prædicatorum part. 2. lib. 1. cap. 26.

*B. Iacobus Venetus Ord. Prædicatorum.*

*Ex Chronico Ord. Præd.*

Huc

*Opuscula  
S. Bonauē  
tura in B.  
Maria  
Virginis  
honorem.*

Huc reuocari potest id, quod sanctus Bonauentura Doctor verè Seraphicus, & studio erga Deiparam mirificè incensus in Deiparæ honorem non minus piè quam eleganter excogitauit. Enimuerò multa in Dei laudem edita, mutatis subinde verbis, Deiparæ accommodauit, atq; ita integrum Dauidicum Psalteriū, Cantica, quæ ex sacris literis in Officio recitantur, symbolum sancti Athanasij: *Quicumque vult saluus esse*, & Hymnum Sanctorum Ambrosij & Augustini, cuius initium est: *Te Deum laudamus*, in Deiparæ laudem concinnatis quibusdam verbis felicissimè transtulit, vt videre est tomo secundo suorum Opusculorum.

## IV.

## LITANIÆ B. VIRGINIS.

3 **Q**VARTÒ Litaniæ, quæ peculiariter in Virginis honorem sunt editæ, atque in templo Lauretano, & alibi decantari solent, sicuti magnam erga Virginem pietatem excitant: ita non sine insigni animarum & corporum emolumento à fidelibus vsurpantur, ac piè recitantur. Earum præstantissimam quidem opem cum alij complures, tum nostra